TRACTATUS BREVIS
DE
ARCHIVIS,

Diſputationis loco conſcriptus, & in Ampliſſimo JCtorum Univerſitatis Argentoratenſis Athæneo defenſus

à

FRANCISCO MICHAELE NEVEU,
DE WINDTSCHLEE.

ARGENTORATI
Apud JOSIAM STÆDEL.

ANNO M. DC. LXVIII.

C. B. D.

DISPUTATIO JURIDICA.

DE

ARCHIVIS

I.

DIſſertaturo inſtans iter, quod paterna ſuadet Pietas, vetat eſſe longiori. Spero veniam à Benevolo Lectore, quam ſi non materiæ raritas, ingenij certè tenuiſſima ſupellex pollicetur. Potuiſſem huic exercitio non vacare, & fortè debuiſſem; ſed jacta eſt alea: ſerò galeatum duelli pœnitet. Fateor, & me pupugit honeſta laudis avaritia; quam Scientiæ amor parit omniumque Reginæ, Jurisprudentiæ.

II.

ARCHIVUM idem eſt quod ἀρχεῖον. *Gothofred. ad l. moris eſt. 9. §. ſolent. 6. ff. de pœnis.* interecto v. mollioris ſoni gratia. De illo agitur in *d. §. 6. in l. ſancimus. 30. circ. fin. C. de Epiſc. audient. Auth. Adhac. C. de fide Inſtrument. Nov. 15. cap. 5. §. 2. Nov. 49. cap. 2. §. 1. Nov 74. cap. 4. §. 2. Can. 1. cauſ. 30. quæſt. 1. Clem. fin. in fin. de Iurejur.* & fortaſſis alibi. Sunt, qui *Archivus* dicunt; uti Adnotator *ad Gl. in d. Clem. fin. & Ioh. Bertachin. in Repertor. in voc. Archivus*; an ex claſſico authore, incertus addubito.

III.

Synonyma *Grammatophylacium* in *d. l. 9. §. 6. ff. de Pœnis. Tabularium* apud *Cicer. in Orat. pro Arch.* ubi, *Hic tu*, inquit, *tabulas Heraclienſium publicas deſideras, quas Italico bello, incenſo tabulario, periiſſe ſcimus omnes.* & *Virg. in Georgic. Eclog.* II.

—— nec ferrea jura
Inſanumque forum aut populi tabularia vidit.

IV.

Huc pertinet *Scrinium* Imperatoris *in l. omnium. 19. in pr. C. de teſtam.* quod non pectoris eſt, ut vulgò DD. ſed armarium, quo epiſtolæ, libelli, cæteraque literaria monumenta conſervantur. *Donell. lib. 6. comment. cap 6. ibique Hillig. lit. c.* Hinc Principes & Magiſtri Sacrorum ſcriniorum; de quibus *t. t. C. de Magiſt. Sac. Scrin. ibique Gothofr.* qualis olim *Vlpianus* noſter. Æl. Lamprid. *in vit. Alex. Sever. Paulum & Vlpianum.* inquit, *in magno honore habuit; Quos Præfectos ab Heliogabalo alij dicunt factos, alij ab ipſo. Nam & Conſiliarius & Magiſter ſcrinij Vlpianus fuiſſe perhibetur, qui tamen ambo Aſſeſſores Papiniani fuiſſe dicuntur*; Et paulò poſt; *Cùm inter ſuos conviva-retur, aut Vlpianum, aut doctos homines adhibebat, ut haberet fabulas literatas, quibus ſe recreari dicebat & paſci.*

V.

Appoſitè Hadr. Junius: *Tablinum, vel Pinacotheca locus quoque erat in atrio, aut illi adhærens, in quo rerum in Magiſtratu geſtarum monumenta & codices ponebantur; Plin. 10. teſte lib. 35. cap. 2. Tabularium apud Cicer. idem ferè cum tablino eſt, niſi quod illud publicum fuerit; at privatarum ædium Tablinum. Nam in tabulario, inſtrumenta, literæ, tabulæque*

bulæque publicæ, in quibus vectigalia & publicanorum rationes perſcriptæ erant, continebantur. Archivum, Vopiſco ἀρχεῖον, ἀρχαῖον *Athenæo*, χαρτοφυλάκιον, *Heſychio* γραμματοφυλάκιον, *idem mihi cum ſuperiore tabulario eſſe videtur, nempe monumentorum publicorum receptaculum.* in *Nomenclatur. de Ædific.* ubi etiam aliarum linguarum vocabula & periphraſes ſubjungit.

VI.

Vulgò *Cancellaria* frequentiùs obtinuit & inde Archiotæ, de quibus *in l. munerum.* 18. *§. hi quoque.* 10. *ibique Gothofred. ff. de Muner. & hon.* ſeu Archivi cuſtodes, paſſim hodiè Cancellarii, longe majori authoritate atque olim. Nam Cancellarii â ſecretis erant Judicum, dabant operam ſcribendis & expediendis epiſtolis, juſſionibus, edictis, relationibus, reſponſis & ſententiis in loco quodam, ut Conſiſtorio proximo, cancellis clauſo, ut fit etiam hodie in Curiis. Per eoſdem fiebat ad Judices admiſſio Videntur etiam vocari viri epiſtolares *l. fin. §. 2. C. de temp. appellat.* Cæterùm hoc erant Judicibus, quod Principibus Tribuni & Notarii. *Gothofr. ad l. nullus.* 8. *C. de Adſeſſ. & domeſtic. & Cancell. Iudic. add. Gl. ad l.* 3. *C. eod. tit. & Did. Covarruv. Pract. quæſtion. cap.* 4. *n.* 10. *verſ. ſed & hæc.* Apertiùs docet *Fl. Vopiſcus* in Carino Imper. *Enormibus ſe vitiis, & ingenti fœditate maculavit. Amicos optimos quosque relegavit; Peſſimum quemque elegit aut tenuit; Præfectum urbi unum ex Cancellariis ſuis fecit: quo fœdius nec cogitari potuit aliquando nec dici.* Quanquam ſunt, qui *Ancellariis* legere malint. *vid. Ioh. Limnæ. Iur. publ. lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 16.

VII.

Hodie ſane *Cancellarij* munus ſublime, ac inter Pa-

latinas dignitates apex honorum & veluti animi ambientis terminus; quem ſacri Palatii Quæſtori comparat *Gailius de Pac. Publ. lib.* 1. *obſ.* 5. *in fin.* videturque omnino eſſe idem cum Candidato Principis; de quo in *l. unic.* §. 2. *&* 3. *ff. de Offic. Quæſt. & l. fin. C. de diverſ. reſcript. Bart. Caſſan. in Catal. Glor. mund. part.* 7. *conſid.* 7. inde non vana illa elogia : *Vox & Cuſtos legum atque Iuſtitiæ, Armarium legum & Principis, Antiſtes æquitatis, Conſilij Regalis particeps, precum arbiter, Legum conditor & Majorum Gentium ICtus.* Verè Angel. Politianus:

Hic eſt, qui leges rerum cancellat iniquas,
Et mandata ſui Principis æqua facit.
Si quid obeſt populo, vel legibus eſt inimicum;
Quidquid obeſt, per eum deſinit eſſe nocens.

vid. Cujac. in Parat. ad tit. C. de Offic. Quæſt. Covarruv. d. l. Hillig. in Donell. Enucl. lib. 18. *cap.* 2. *lit. v. Limn. d. l. n.* 12. *& ſeqq.* ubi plura de ratione nominis. Probabilior illa, quòd Cancellarii Officium, reſcripta, reſponſa & decreta Principis inſpicere & malè ſcripta aut expedita cancellare, i. e. tranſuerſis lineis, veluti cancellis expungere & inducere. *arg. l.* 2. *& ſeq. ff. de his, quæ in teſtam. del. l. ſi chirographum.* 24. *ff. de probat. l. inductum.* 22. *C. de ſolut. l. emtor.* 47. §. 1. *ff. de Pactis. Couarru. d. l.*

VIII.

De Galliæ Cancellario *Guil. Budæus* in Annot. *ad rubr. de Offic. Præfect. Prætor.* teſtatur; Quod Præfecti Prætorio inſtar habitus fuerit. *Curat*, inquit, *ut nulla Principis Conſtitutio, nulla ſanctio, nullum diploma, nullum reſcriptum, nulli codicilli regij, non è republica atque etiam è dignitate Reip. Principalique exeant; cujus cenſuræ aut ſtylo acta ſua exigi nunquam noluit Principum Majeſtas. Is*

Principis

Principis præſentis vicarius, & eò peregrè profecto Interrex quodammodo cenſendus eſt; Idem *Budæus* alibi, eum vocat *Regni Nomophylacem, penes quem ſint juris Regalis prima auſpicia*: apud *Covarr. d. l.* ubi tantam Cancellarii dignitatem apud Hiſpanos, Gallos & Anglos abhinc mille annis obtinuiſſe cenſet.

IX.

Sed & in Imperio Electoribus Eccleſiaſticis illud commune, quòd quilibet eorum ARCHICANCELLARIUS. Nam more vetuſto *Moguntinus* per Germaniam, *Trevirenſis* per Galliam & Regnum Arelatenſe; *Colonienſis* per Italiam Archi-Cancellarii munere funguntur. Vid. *Theod. Reinking. in Regim. ſecul. & Eccleſ. lib. 1. claſſ. 4. cap. 7. n. 10. & 11. Limn. d. lib. 1. cap. 5. n. 4. & 5. Add. Chriſt. Lehmann. in Chron. Spirenſ. lib. 2. cap. 7. Ioach. Cluten. in Syllyg. rer. quotidianar. th. 24. lit. g. & ſeqq. Martin. Rümelin. ad Aur. Bull. part. 3. diſſert. 5. th. 26.*

X.

Quo ſenſu Trevirenſis per Galliam & Regnum Arelatenſe officium illud Archicancellarii geſſerit olim, mirè variant Hiſtorici æquè ac Politici. Sunt, qui cauſam ex ſubjectione vaſallitică accerſunt: at Gallos acerrimè habent diſſentientes; quippe qui ne minimum quidem Imperatori concedere geſtiunt. Nam cùm olim Carolus IV. Imper. Pariſiis à Rege exceptus eſſet, ſedulo cautum, ne is equo albo (inveterata enim conſuetudo, ut Rex metropolim ſolenniter intrans tali equo inſideat) urbem ingrederetur, quaſi dominus, ſed potiùs nigro, quem propterea donatum acceperat. *Vid. Limn. ad Capit. Carol. V. ad Proœm. in voc.* Auch Gallien. *& ad Capit. Ferd. III. art. 46. in verb.* geſchenckt werden. Ipſe quidem

dem *Limnæus* rectè notat *Marq. Freher.* qui in *Not. ad Petr. de Andl. de Imper. Germ. lib.* 2. *cap.* 1. auguſtum illud Archi-Cancellarii munus, anguſtis ſolius regni Arelalatenſis terminis includit: non immeritò tamen quoque improbandus, quòd idem longè anguſtioribus, parte ſcil. Germaniæ, quæ trans Rhenum & à nonnullis Galliæ olim adſcripta, definiat. *d. l.* immemor Conſtitutionis Caroli IV. quæ inter alia, de Privilegiis Electoris Trevirenſis, hæc habet: *Archi-Cancellariatus exercitium, munusque, cuſtodia ſigillorum Imperialium vel Regalium; inſtitutio & reſtitutio Cancellarÿ, Protonotariorum, & Notariorum Cancellariæ, quotiescunque contingit, Imperatorem vel Regem terminos Arelatenſis regni vel Galliæ intrare &c.* quam tamen ipſe adducit *lib.* 3. *de Iure publ. cap.* 5. *n.* 21. Adde *Conring. de fin. Imperÿ Germ. cap.* 8. qui non multum abit â ſententiâ Limnæi.

XI.

Definimus *Archivum* noſtrum, *Quod ſit locus, quo publica authoritate monumenta publica probè & cum cura adſervantur, in communem utilitatem & faciliorem rerum probationem.* arg. *Nov.* 15. *cap.* 5. §. 2. vid. *Chriſt. Beſold. in theſaur. Pract. in voce Archivum lit. A. Rutger. Ruland. de Comiſſ. part.* 2. *lib.* 5. *cap.* 3. *n.* 5. *Gothofred. ad d. l. moris.* 9. §. *ſolent.* 6. *ff. de pœn. Philip. Knipſchilt de Iur. Civit. lib.* 2. *cap.* 12. Suæ quidem quilibet rei moderator eſt atque arbiter. *l. in re.* 21. *C. Mandat.* & juſtum ſua cuique committere. *l. nemo.* 9. *C. de Iudæis*; adeoque licitum, imò par erit, ut quis domi ſuæ tablinum quoddam inſtituat pro adminiſtratione œconomicâ. *arg. Auth. Adhæc.* ibi: *ex Archivo publico. C. de ſid. inſtrum. Nov.* 49. *c.* 2. at nos reſpicimus finem publicum probationis, quem privatâ ope induci non poſſe manifeſtum eſt, & infrà clariùs patebit.

XII.

XII.

Non unius generis Archivum; unde opinor, interdum in plurali numero id effertur *l. ſancimus 30. ibi: in ipſis ſanctiſſimæ Eccleſiæ archiis C. de Epiſco. audient. Nov. 74. cap. 4. §. 2. can 1. cauſ. 30. quæſt. 1. Clement. fin. in fin. de jure jur.* In Jure noſtro celeberrima ſunt ſcrinia memoriæ, ſacrarum epiſtolarum, libellorum ſacrarumque cognitionum & diſpoſitionum *l. ult. verſ. Viri etiam C. de decurion. l. 1. proximos l. 8. C. de proxim. Sacr. Scrin.* in quibus annotationes & arcana Principis, ciuitatum poſtulata & legationes, preces, & decreta ſeu reſcripta Principis fuere edita ac aſſervata. *Gothofr. ad d. l. 1.* Sunt quoque ſcrinia ſacrarum largitionum; ad quæ pertinent ſcrinium Exceptorum, ſcrinium Numerorum, ſcrinium Tabellariorum, ſcrinium Canonum, ſcrinium Mittendariorum, ſcrinium aureæ maſſæ, ſcrinium auri ad Reſponſum, ſcrinium à Miliarenſibus, ſcrinium ſacrarum veſtium, ſcrinium ab argento, ſcrinium â pecuniis *l. ſcriniis. 7. C. de Palat. ſacrar. largit. & rerum privat. l. 1. §. 2. C. de canon. largit. titul. l. lotas 10. C. de murileg. l. fin. C. de veſtib. holober.*

XIII.

In horum omnium differentias inquirere majoris erit operæ, quàm utilitatis. Gl. *ad d. l. 7.* ex varia lectione Codicum non levem difficultatem agnoſcit; quam à Cujacio feliciter reſtitutã gloriatur *Baudoza d. l. Vid. Cujac. in Parat. ad tit. C. de Offici. Quæſt. & 4. tit ſeqq. Calvin. in Lexic. in voc. Scrinia.* Budæus duplicia facit Archiva, *Stataria & Viatoria*; Illa vocat, quæ ſtatum habent locum & complectuntur inſtrumenta Imperii antiqua; hæc verò, quæ circum feruntur in Comitatu Prin-

cipali. *in Annot. ad l. ne quicquam. 9 ff. de Offic. Procons.* Sed conſtat tot eſſe ſcrinia, quot rerum ſunt genera, quarum præcipua cura ad Principem ſpectet. Confuſio namque, quæ & privato cane & angue pejùs devitanda, magnis Imperiis ſolet eſſe exitialis. Neque præſtantius huic malo remedium, quàm ab ordine ſcriniorum & ex illius fideli & diligenti adminiſtratione. *arg. d. l. 8. ibi: Quos fides ac diuturnæ obſervationis induſtria &c. C. de prox. Sac. Scri. Nov. 15. c. 5. §. 2. Clem. fin. in fin. de jurejur.*

XIV.

Vix ergo perpetua regula dari poterit, in quibus ſpeciatim Archiva occupata ſint, cùm quælibet civitas interdum ſingulari ratione ducatur. In confeſſo tamen eſt. v. g. ſi de Archivis regni tractetur ordinandis, cuſtodienda eſſe ſedulò regni documenta, annales rerum geſtarum, hiſtorias, libros legum, ſtatutorum, conſuetudinum receptarum, Privilegiorum, & Jurium Regni, fœderum, Pacis initæ, finium; etiam libros Genealogicos, libros cenſuales, feudales, libros exactionum, tributorum, decimarum, redituum & indictionum publicarum, Matriculam Regni; in qua contineantur nomina provinciarum, civitatum, oppidorum, vicorum, pagorum &c. *vid. Ioh. Althuſ. in Polit. cap 17. n. 9. & ſeqq. Paul. Matth. Wehner. in obſervat. Pract. lit. R. in voc. Regiſtratur & in voc.* Bücher. *Io. Iac. Speid. in obſervat. in voc. Archiv. n. 149. lit. A.*

XV.

Enimverò prudentiæ & ſolertiæ Cancellarii incumbit, ut Archivum feliciter moderetur & dirigat, ne aliqua oriatur confuſio. *arg. l. fin. C. de legit. tut. Nov. 1.*

cap.

cap. 1. §. 1. Summâ namque cura adhibendum, ne quid eorum, quæ accidunt in gubernatione, poſteris ſcitu digna & ad conſervationem Jurium & privilegiorum Domini ac Reipubl. faciunt, negligantur aut pereant, ſed ſarta tecta ſeruentur & protocollo fideliter ac methodicè inſerantur tutóque reponantur. Petr. *Gregor. Tholoſan. lib. 16. de Republ. cap. 9. Hinc Generoſus à Seckendorf.* In ſeinen Fürſten-Staat *part.* 2. *cap.* 6. §. 15. nervosè. Darneben beſtelt man auch einen Archivarium oder Vorſteher deß Briefs-Gewölbs / darinnen die Original urkund allerhand ſachen zur Lands Regierung gehörig / wie auch der Partheyen geſchloſſene und abgetheilte Sachen in Schrifften verwahret und in richtiger Ordnung gehalten werden müſſen / damit man dieſelbe auff bedürfenden fall daraus finden und ſich ſattſam berichts darauß erholen könne. Hierbey ligt dem Archivario ob eine richtige Regiſtratur darüber zuhalten / was man bedarf / auf befelch herauß zugeben / wieder abzufordern / und an gehörigen orth zu legen / die ſchrifften ſelbſt / daß ſie nicht ſchadhafftig werden / in acht zunehmen / wo nöthig / dieſelbe copiren zulaſſen ; Außwendig auf die Acten den Titul oder Rubric zubringen / und darnechſt die Stücke / ſo darinn befindlich / Summariſch zuverzeichnen.

XVI.

Qui curam iſtiusmodi in methodica aſſervatione Actorum ſuſtinet; vulgò Regiſtrator vel Cantzley Verwalter / Land-Rath-Stattſchreiber / pro conditione ipſius civitatis vocari ſolet. Et methodus ac ordo, juxta quem diſpoſitio & conſignatio inſtituenda, Regiſtratur dicitur. *Wehner. d. l. in voc.* Regiſtratur. Cujus verba ſubſequentia hic adſcribi merentur: *Quæ potiſſimum conſiſtit*, ait,

in aſſumendo, perſpiciendo, ponderando, diſcutiendo & tranſumendo literaria documenta, atque ex eorum contentis tàm principales quàm acceſſorias concluſiones vel theſes eliciendo & conſtituendo, brevibus argumentis comprehendendo, omnia contenta commentando: Inſuper in partiendo & ſeparando inſtrumenta aliasque ſcripturas; in ordinando omnia ſub ſuis titulis; libros conficiendo, ſcrinia monumentorum conſtruendo, eadem locis deputatis collocando; denique omnia in ſuo ordine conſervando, atque extra confuſionem ab interitu vindicando.

XVII.

Pergit dictus Autor: *Diligens itaque ac peritus Regiſtrator dividet* Domini *ac Majorum, ſive Anteceſſorum inſtrumenta, Regalia, Privilegia*, ſo die *Reſervaten*/ Hoheiten/ Regalien/ Begnadigung und Freyheiten betreffen, &c. *in ſuas cellulas; item quæ ad politicum regimen, jurisdictionem & ſimilia ſpectant*, Als Reichsſachen/ Regiment/ Oberkeiten/ Herrlichkeiten/ Zentvogtey/ Forſtrecht &c. betreffend/ ab iis, quæ concernunt Dominorum *bona eorumque proventuum*, die Cammerſachen Rent/ Gült/ Zins/ Getreid *&c.* belangend. *Deinde negotia privatarum perſonarum & rerum inter ſe ordine diſcernet. Tertiò extraneorum cauſas diriget, prout quisque Officialis Regiſtrator in aliquâ Cancellariâ vel Regiſtraturâ varia offendet negotia, ſcripta & cauſas; quarum inſpectionem & curam ritè habebit.* Hæc *Wehnerus d. l. ex* Tractat. *Jacobi à Rammingen* von der Regiſtratur. *Item*: Summariſcher bericht/ wie es mit einer künſtlichen vnd vollkommenen Regiſtratur ein geſtalt *&c.* ubi addit, *iſagogen illam non eſſe inutilem Officiariis, Notariis; cùm hanc artem fortè adhuc plures & majores ignorent, uti teſtetur quotidiana converſatio & experientia.*

XVIII.

Cùm autem ſuperùs dictum, domeſticum familiarum regimen quadantenus tabularium quoddam requirere; conſentaneum eſt, uſum ejusdem civili ſocietate, adeoque jure gentium eſſe antiquiorem. *arg. §. 2. Inſt. de I. N. G & C junct § ſingularum.* 11. *Inſt. de R. D.* Neque enim unquam dubitatum, quo tempore regna & Magiſtratus condita, eodem Archiva quoque fuiſſe ordinata. Clariſſima hujus rei documenta vel in Sacris exſtant; in Rep. Hebræorum. 2. *Maccab.* 12. *verſ.* 3. *& 7. & paſſim. in libb. RR. & Chron* Perſarum. 1. *Esdræ. cap.* 4. *verſ.* 15 *& ſeqq. cap.* 5. *in fin. & cap. 6. in pr.* Spartanorum. 2. *Maccab.* 12. *verſ.* 20. Eſſet operæ abundantis, plura hujusmodi ex Hiſtoriis colligere, quæ nemo in dubium vocat. Sicut enim meritò pro tacitâ lege habendum, quod naturali juſtitiæ convenit. *l. ſcire.* 13. *§. ſi enim.* 7. *ff. de Excuſat. l cùm ratio.* 7. *ff de bon. damnat.* ita quæ rectæ rationi conſentanea, etiam ſilentibus Hiſtoricis credere fas eſt.

XIX.

Vetus quidem de Germanis noſtris querela eſt, quòd res benè geſtas in commentarios mittere neglexerint, ſatiùs rati, ea memoriæ quàm ſcriniis mandari; quòd aliàs plerisque accidat, ut præſidio literarum diligentiam in perdiſcendo ac memoriæ cultum remittant. *vid. Cæſar. de Bell. Gallic. lib. 6. in princ.* Poſtea cùm ſpe ſua falſos ſe vidiſſent; (omnium enim habere memoriam divinitatis magis, quàm humanitatis. *Conſtit.* 1. *§. ſi quod autem.* 14. *de confirm. ff*) monitu Imp. *in Nov.* 15. *cap.* 5. §. 2. tanto ardore neglectum illum reſarcire conati ſunt, ut nullus dubitem, ſicuti in aliis omnibus, ita principatum in ordinatione Archivorum Germanis aſſerere.

XX.

Exemplo ſit Archivum Imperii; quod duplex, unum continens Acta publica, quæ in Comitiis, Deputationibus, Viſitationibus & aliis conventibus peraguntur; ut & Matriculam Imperii. Hoc in Aula Moguntini Electoris aſſervatur; ibique dictarum rerum editio peti ſolet; unde & ſæpe Cancellaria Moguntinenſis dicitur. Alterum complectitur acta Judicialia & quæ huc pertinent; exſtatque in Camera Imperiali; quanquam ei per Præfectum præſit idem Moguntinus, ceu Imperii Archi-Cancellarius. *Ruland. de Commiſſ. part 2. lib. 5. cap. 4. num.* 11. *Reinking. de Regim ſecul. & Eccl. ſ lib.* 1. *claſſ.* 4. *cap.* 7. *inf. Althuſ. in Polit. cap.* 17. *num.* 11. *& ſeqq. Limn. in Annot. ad articul.* 12. *Capitul. Caroli V. in voce* **Cantzley gelt** *& ad art.*46. *Capitul. Ferd. III. in voc.* **die Reichs Cantzley**. Longum eſſet minutatim iſta omnia hic recenſere; & fortè tùm ab indole meâ, tùm à loco hoc alienum. Neque enim rimari licet aut ſcrutari nimiùm, quæ in arcanis numerantur. Sufficiat nobis adduxiſſe; quæ publici ſunt juris & præcipuè concernunt Archivum judiciarium.

XXI.

Eminentiſſimus Archi-Princeps Moguntinus, Collegii Electoralis Decanus, Conſilium cum Cancellatiâ, quod in Aulâ eſt Imperatoris & non niſi Vice-Cancellarium habet, juramento ſibi tenet obſtrictum; teſte *Th. Michaël de Iurisdict. concl.* 28. *lit. a. Webner. in obſ pract. lit. H. in voc.* **Hoff / Kayſerl. Hoff /** quod tamen hodie uſu non ſervatur. *Reinking. d. claſſ.* 4. *cap.* 19. *num.* 46. *Limn. ad Capitul. Matthiæ art.* 41. *in verb.* **Als ErtzCantzler.** Quanquam hoc certum, quòd Imperator vigore capitulatio-

nis

nis obligatus ſit, unà cum Electore Moguntino ſingulis annis vel ad minimum biennio illud Judicium Aulicum viſitare, reformare &c. *vid. Capitul. Matth. art.* 41. *Ferd. II. art.* 40. *Ferd. III. art.* 44. *& Leopold. artic.* 42. *Reinking. d. l. n.* 47.

XXII.

Olim quoque decreta Imperialia ſolus ſignabat, ſi credimus *Tob. Paurmeiſtero lib. 2. de jurisdict. Rom. Imper. cap.* 2. *num.* 33. Hodie verò ejus nomine ſubſcribit Aulæ Imperialis Vice-Cancellarius. *Ioach. Cluten. in Syllog. rerum quotidian. th.* 24. *lit. K. verſ. hinc factum.* Et ipſe Elector tùm demum, ſi curia Imperialis in ejusdem Archi-Cancellariatu celebretur. Tùm enim portat ſuper argenteo baculo omnia ſigilla & typaria Imperialia ſeu regalia. *Limn. de jur. publ. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 2. *Add. eund. lib.* 1. *cap.* 11. *num* 44. ubi typarium A.B. exhibet.

XXIII.

Juvat hic ſubnectere verba quædam *Petr. de Andlo de Imp. Rom. lib.* 2. *c.* 15. ubi curiæ Imperialis celebrationem deſcribit; *Ingreſſo verò Imperatore ad Menſam, Principes Electores Eccleſiaſtici, videlicet Archiepiſcopi ſtantes ante menſam cum cæteris Prælatis benedicent eandem, & benedictione completâ iidem Archiepiſcopi omnes ſi adſunt, alioquin duo vel unus, ſigilla vel typaria Imperialia à Cancellario Curiæ recipient, eoque, in cujus Archi-Cancellariatu curiam ipſam celebrari contigerit, in medio procedente, & aliis duobus ex alterutro latere ſibi junctis, ſigilla & typaria ipſa, omnes quidem baculum in quo ſuſpenſa fuerint, manibus contingentes, ea portabunt, & ante Imp. reverenter in menſam deponent; Imperator verò eadem ipſis ſtatim reſtituet & in cujus Archicancellariatu hoc fuerit, is majus ſigillum*

collo

Digitized by Google

collo appenſum usque in finem menſæ portabit & deinceps, donec ad hoſpitium perveniat ab Imperiali curia equitando. Baculus verò, de quo præmittitur, eſſe debet argenteus XII. marcas argenti habens in pondere; cujus tàm pretii, quàm argenti partem tertiam unusquisque Archiepiſcoporum ſolvet; & baculus ipſe protinùs unà cum ſigillis & typariis debet Cancellario Imperialis Curiæ aſſignari, in uſus ſuos beneplacitos convertendus. ap. *Mart. Rumelin. ad A.B. part.* 1. *diſſert.* 4. *th.* 9. ibique *in Addit. Speidel.*

XXIV.

Hæc Petr. de Andlo; quæ etiamnum in curiis iſtis imperialibus ritè obſervari, docet *Rumelin. d. l. part.* 3. *diſſert.* 5. *th.* 18. Nos obiter notamus, conjecturam *Limnæi* ex allegata relatione videri poſſe ſtabiliri, quâ non dubitat, præter Cancellariam Imperii Moguntinam, etiam aliam eſſe apud Electorem Trevirenſem & prætereà aliam ap. Colonienſem, ſed particularem, reſpectu ejus Imperii partis, cujusquisque eorum Archi-Cancellarius audit. *in d. Annot. ad articul.* 12. *Capitul. Caroli V. in voc.* **Cantzleygelt.** *Speidel. in Obſervat. Pract. lit. c. in voc.* **Cantzley / Reichs vnd Hoff Cantzley.** *n.* 16.

XXV.

Sed nec Imperator ſine Electoris Moguntini tanquam Archi-Cancellarii conſenſu aliquid remittere poteſt de taxâ ordinariâ, quæ Cancellariæ Conſilii Aulici debetur. *Capitul. Ferd. III artic.* 46. *Leopold. art.* 45. Participat enim procul dubio de illius taxâ, unde mirari haud licet, cur ejus conſenſus hic requiratur. *Limn. in Annot. ad d. art.* 46. *in verb.* **Vorwiſſen vnd Bewilligung.** Nulla autem, ut hodierni ſunt mores, eſt in Europâ Cancellaria, ubi non literæ vel diplomata, actusque vel Judi-

Digitized by Google

Judiciales, vel gratioſi certâ taxâ æſtimati ſint. v. g. in Imperio pro collatione dignitatis Comitis, **Wann einer vom Kayſer zum Graffen gemacht wird** / taxæ loco ſolui debent 2000. aurei floreni pro diplomate ſeu teſtimonio collatæ hujus dignitatis; pro juribus Cancellariæ 200. aurei floreni; pro collatione tituli **Hochgebohrnen**/ taxa ſolvitur 130. & Cancellariæ 40 aurei floreni; pro collatione tituli **Wohlgebohren** / 100. & Cancellariæ 30. aurei floreni &c. In Gallia diploma Nobilitatis 1300. ſcutatis demum comparatur. *vid. Limn. d. l. in voc.* **die gewöhnliche Tax-gelter.** *Ioh. Rudinger. ſingul. obſervat. centur. 4. obſervat. 90. Speidel. in obſerv. Pract. lit. T. in verb.* **Tax/ Cantzley Tax.** *num. 12. & inprimis Concept. Ren. Ord. Camer. part. 1. tit. 46. §. fin. in Addit.*

XXVI.

Cancellaria autem Judicii Cameralis, **Cammergerichts-Cantzley / Cammer-Cantzley** in latâ ſignificatione non ſolùm deſignat illud conclave, in quo perſonæ ejusdem Cancellariæ circa proceſſuum, aliarumve literarum conceptionem, ſcriptionem, ſigillationem, inſinuationemque, item actorum completionem ac deſcriptionem occupantur; ſed etiam *Lectoriam* Judicii Cameralis **die Leſerei**/ i. e. conclave, in quo acta judicialia reconduntur & cuſtodiuntur. Cùm enim Cancellaria tàm capax non eſſet, ut iſta innumera Acta in ea recondi poſſent, ſeparato conclavi fuit opus, quod *Lectoriam* vocari placuit. vid. *Iac. Blum. in Proceſſ. Cameral. tit. XI §. 3. & ſeqq.*

XXVII.

Hæc Lectoria ratione Actorum diviſa eſt in duo Archiva, **zwey Gewölbe.** Unum continet omnia acta cauſarum Fiſci, Mandatorum, Fractæ Pacis, Spolii, ſim-

plicis querelæ, Compromiſſi, Invocationis brachii ſecularis, Executionum compromiſſi, & aliarum, quæ non per Appellationem, ſed aliis viis eò devolutæ ſunt. vid. *Ord. Camer. part.* 1. *tit.* 30. §. Nach dem *& ſeqq. Concept. Renov. Ord. Cameral. part.* 1. *tit.* 43. §. 21. Alterum continet cauſas appellationum, & quidquid ad eas pertinet, utpote Attentatorum, Declarationum ob non paritionem, Compulſorialium, Inhibitionumque & illorum omnium Executionis. *Ord. Camer. d. l. & Concept. Ord. Cam. d. tit.* 43. §. 22. *Adde Ruland. de Commiſſar. part.* 2. *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 9. *& ſeqq.* His duobus Archivis quatuor Lectores præfecti ſunt, quorum curæ omnia acta æqualiter concredita; & hi ſe invicem fideli ope operaque juvare tenentur, qui quovis tempore Acta, quoties iſtis in Senatu aut Cancellariâ indigetur, in promptu habeant. *Ord. Cam. d. l.* §. Zu den zweyen/ *& Conc. d. tit.* 43. §. 23.

XXVIII.

Ipſam verò Cancellariam latè dictam Elector Moguntinus, tq. Archi-Cancellarius, idoneis perſonis inſtruere tenetur; quæ ſunt Præfectus Cancellariæ Protonotarii, Notarii, Lectores, Ingroſſiſtæ, Copiſtæ, Famulus Cancellariæ, Receptor, Magiſter Nuntiorum & Nuntii. Et ipſe quidem creat Præfectũ Cancellariæ, tres Protonotarios, quinque Notarios, & quatuor Lectores, *Ord. Camer. part.* 1. *tit.* 26. § 1. *d. Concept. part.* 1. *tit.* 39. *in pr. &* §. 1. at Præfectus cũ Electoris præſcitu & conſenſu Secretarios, Ingroſſiſtas, Copiſtas & famulum Cancellariæ recipit. *O. C. d. l. Concept. O. C. d. l.* §. 3. Secretarii hodiè non ampliùs in Camera habentur, ſed jam dudum deſierunt, Quin olim quoque ex perſonis Cancellariæ jam enumeratis Magiſter Nuntiorum & Receptor eligi debebant; adeò ut duplex illi officium & duplex quoque ſalarium

recipe-

reciperent. *O. C. d. part.* 1. *tit.* 44. *in fin. Concept. O. C. d. l tit.* 58. *§. fin.* hodie autem tàm Magiſter quàm Receptor ſeparatim ſimplici ſalario conſtituuntur. Et quò dictæ perſonæ ad majorem induſtriam & adquirendam dexteritatem incitentur, in decedentium locum proximi provehi & ſurrogari debent. *O. C. d. tit.* 26. *§. penult. Concept. O. C. d. tit.* 39. *§.* 5.

XXIX.

Prædictæ perſonæ Imperatori vel judici Camerali ſacramentum præſtant, & Cameralibus accenſentur. Si quis eorum dimittendus, vel ipſe dimiſſionem petat; ante ſex menſes id ſignificandum: ſine Præfecti præſcitu autem Judex Cameræ eam non permittit. Quod ſi bini Collegæ ſimul officio renuncient; alter ſpatio trium menſium novum Collegam recipere & inſtruere jubetur. *O. C. d. tit.* 26. *in f. Concept. d. l. §.* 6. *& ſeqq.* Officium autem eorum in genere, ut ne arcana Judicii revelent. *Concept. d. l. tit.* 39. *§.* 7. ob negotiorum multitudinem, periculumvè cauſarum extra horas ſolitas feriatis etiam diebus conveniant ac reſidua abſolvant. *Concept. d. l. tit.* 41. *§.* 24. Commiſſiones extra Civitatem Spirenſem expediendas in ſe haud ſuſcipiant. *ibid §. ult.* Contrà in propriis negotiis dimidiam tantùm partem Taxæ Cancellariæ ſoluunt. *O. C. part.* 1. *tit.* 46. *§. fin.* exceptâ Nuntiorum taxâ. *ibid. tit.* 61. *in fin.* ſalarium ab Archi-Cancellario ſingulis ſolvitur ex debitis Cancellariæ, **von der Cantzley gebühr/ von den Cantzley gefällen**; quæ ſi non ſufficiant, idem Archi-Cancellarius ſupplet, uti reſiduũ lucratur. *O. C. part.* 1. *tit.* 44. *in pr. Concept. O. C. part.* 1. *tit.* 58. *in pr. Blum. d. tit. XI. §.* 20. *& ſeqq.* De debitorum iſtorum taxâ noviſſimâ vid. *d. Concept. part.* 1. *tit.* 46 *in fin. junct. R. I. de Anno* 1654. *§* **Folgends** num. 104. *& d. Concept. tit.* 39. *§. ult. Blum. d. l. §.* 23.

XXX.

Præfectus Cancellariæ, **Cantzley Verwalter** / negotiorum in Cancellaria Judicii Cameralis expediendorum adminiſtrationi præeſt, demandatum ſibi ab Electore Moguntino Cæſareum ſigillum fideliter cuſtodit, neque niſi decretis Cameralibus imprimit; Terminos ad comparendum in Proceſſibus pro diſtantiâ loci ſatis amplos præfigit; pœnam in comminationibus pro arbitrio moderatur; interdum tamen, ob facti atrocitatem, cum præſcitu Cameræ mandatis inſerit; quicquid ſub nomine ſigilloque Cæſareo emanat, ipſe revidet, atque ſubſcribit; Informes ſupplicationes & producta incorrecta vel ultrò obſervata vel ſuggeſta à Partibus unà cùm Protonotariis Collegio punienda defert. Sedulò quoque cavet, ne Copiſtæ lineas nimium disjungant litigantium damno; operamque dat ut in Repertoriis voluminum ſententiarum, Definitivæ peculiari notâ ab interlocutoriis ſecernantur; Ut ſcrinia actorum Fiscalium clauſa ſint, nequid pereat. Quovis tempore defectus Cancellariæ corrigit & emendat; ſi nequit, rem Archi-Cancellario indicat. Inprimis providet, ut quantocius Acta à Lectoribus per Proto & Notarios petita perfectè compleantur, ac ſine morâ in Senatu referenda tradantur. vid. *O. C. part.* 1. *t.* 27. *Concept. O. C. part.* 1. *tit.* 4. *Blum. d. l. tit.* 12.

XXXI.

Protonotarii, **die Oberſten Gericht ſchreiber** in concipiendis Proceſſibus, Procuratorum receſſibus excipiendis & votis Aſſeſſorum annotandis præcipuè occupantur. Tres Codices conficiunt, quorum primus Protocollum Senatus, **Raths**-protocoll; cui ſententiæ cum nominibus Aſſeſſorum præſentium, &, ſi diſſentiunt, rationes

tiones & nomina eorum, qui prævaluerunt, inſcribuntur. In altero ſolùm ſententiæ conſignantur ex priore Codice, & eodem die â meridie ante audientiam præleguntur, quàm publicentur. Tertius omnes ſententias quovis anno publicatas & per Ingroſſiſtam conſignatas exhibet. Omnia ſub fide juramenti æterno ſilentio involuunt, & ſine juſſu Imp. aut judicis nemini quidquam aperiunt, ne quidem Aſſeſſoribus. Neque his aliter quàm in Senatu vel Cancellariâ inſpicere illa licet vel evolvere, & quidem ſub præſentia Notarii. Procuratoribus ſupplicationum defectus vel cauſas denegati proceſſus prodere vetantur; eorum receſſus longiores notant; errata in Protocollis deprehenſa modeſtè indicant; quæ in Audientia dicta facta, verbotenus ſummâ induſtriâ excipiunt, & poſt Audientias ſuo protocollo inſerunt &c. vid. *O. C. d. l. tit.* 28. *Concept. O. C. d. part.* 1. *tit.* 41. *Blum. d. l. tit.* 13.

XXXII.

Notariorum quinque ſunt; quorum unus cauſas fiſcales, reliquis privatas tractant. Senior illorum vulgò ſolet vocari *Regiſtrator* quòd circa *Regiſtraturam* Protocolli judicialis verſetur, formetque Repertorium in rubricis cauſarum in Camerâ pendentium, indicans ejusdem Protocolli paginas; in quibus Receſſus in ſingulis cauſis habiti reperiantur: Unde in Audientiis præſtò eſſe & protocollare ſolet. Aliàs eorum officium quoque in conſcribendis Actis, Procuratorum receſſibus, & votis Aſſeſſorum conſignandis. Proſpicere quoque debent, ut ſubmiſſiones in cauſis ſpolii, purgationum, executionum ac ſimilium præ aliis referendæ dentur; Completis Actis inſcribant *completum* cum die & anno; in receptis annotent *expeditum*, ut Lectores

 aliique

aliique commonefiant de ſententiâ latâ. Repertoria quoque libris ſententiarum propria conficiunt. vid. *O. C. part. 1. d. tit. 29. Concept. O. C. tit. 42.*

XXXII.

Lectores, die Leſer/ à legendo vel colligendo, weil ſie die acta zuſammen leſen und verwahren / ſedulò curant, ut acta, in quibus ſubmiſſum, in Cancellariam ad complendum transferantur, & completa quovis die Sabbathi ad referendum exhibeantur. Neque etiam recentiores cauſæ, niſi privilegiatæ, præferantur, ſed ut æqualiter inter Aſſeſſores diſtribuantur, cavent. Acta, in quibus iterùm ſubmiſſum, priori Referenti, vel eo abſente Correferenti tradunt, cauſas connexas nō dividunt. Si cauſa Correferentem deſideret, Veteranum cum Novitio conjungunt; Referentibus Correferentes non indicant. In Lectoriam Procuratores vel eorum ſcribas non admittunt &c. *vid. O. C. tit. 30 Concept. O. C. tit. 15. Blum. in Proceſſ. Ca eral. tit. 14. & 15.*

XXXIV.

Receptor, der Einnehmer / eſt qui debita Cancellariæ recipit iſtorumque rationes reddit. Ingroſſiſtæ, qui conceptum minoribus literis exaratum majuſculis deſcribunt. Copiſtæ, qui exemplaria ſeu copias conficiunt. Utrique horis ſolitis tempeſtivè in Cancellariâ adſint, ſcribenda diligenter ac correctè exarent aliaque Præfecti juſſa capeſſant. Famulus Cancellariæ, Cantzleyknecht/ horis conſuetis Cancellariam in tempore aperiat claudatque, in & ante eandem præſtoletur, ac mandata diligenter perficiat. Accerſiturus ſcribam in Cancellariam, in præſentia aliorum, quid deſcribendum ſit ne aperiat, ſed vel nihil vel in aurem dicat, *vid.*

O.C.

Ord. Cam. part. 1. *tit.* 31. *&* 32. *Concept. Ord. Cam. tit.* 44. *& ſeqq. Blum. d. l. tit.* 16.

XXXV.

Magiſter nuntiorum, **Bottenmeiſter** / quàm primùm Proceſſus expediti taxaque ſoluta, à Receptore acceptos Procuratoribus ad deſcriptionem, ſi petant; dat reſtitutosque in præſentia Præfecti vel Protonotarii & Receptoris curat ſigillandos, & poſtquam Regiſtris inſcripti ſunt Nuntio equiti, quem ordo tetigerit, offert exequendos. Proceſſus cuilibet commiſſos & reducis relationem in Regiſtro annotat, & à Nuntio ſubſcribi curat; quæque ultra ſimplicem mercedem acceperit, pixidi inferri, atque inter omnes per trimeſtria æqualiter dividi. Si quis Proceſſus per Notarium immatriculatũ inſinuari velit, ab eo in dena milliaria quinos bacios exigat, quam vocant *Concordiam*, ſeu *Concordien* **gelder.** Vid. *O. C. tit.* 35. *Concept. O. C. tit.* 48. *Blum. d. l. tit.* 17.

XXXVI.

Nuntii Cameræ Spirenſis ad inſinuationem & executionem Proceſſuum ſunt deſtinati & dividuntur inter equeſtres & pedeſtres, **reitende und fueß = oder Beybotten.** Receptio eorum fit à Judice & Aſſeſſoribus in præſentia Præfecti Cancellariæ. Quia verò Relationibus eorum plena fides habetur, & juxta eos Proceſſus in contumaciam contra non-comparentes decernuntur; examen priùs de ipſorum integritate, fidelitate, veracitate, probitate, idoneitate atque literarum notitia inſtituitur. Equeſtrium numerus eſt XII. pedeſtrium arbitrarius; qui tamen in illorum decedentium locum præ aliis ſubſtituuntur & ſurrogantur. Singuli ex equeſtribus ordine ante Cancellariam præſtolantur, ſub pœnâ amittendi

ordinis

ordinis primâ vice, alterâ, ſub pœnâ remotionis ab officio. Equeſtribus ad ſummum 6. Proceſſus, pedeſtribus 4. traduntur, niſi periculum in morâ; tùm enim minoribus, etiam uno cum Proceſſu proficiſci debent. Reverſi ipſo die vel certè ſequenti Magiſtrum adeunt & factæ executionis relationi ſubſcribunt. Impedimenti ſi quid in itinere contigerit, documentum à Magiſtratu loci exhibent Cancellariæ. Si varios Proceſſus exequantur, ſinguli litigantium ſolidam mercedem pendunt quidem; at Nuntius pro unâ profectione ut & inſinuatione omnium taxam ſibi retinet: reliquam verò pro profectione Magiſtro Nuntiorum offert, poſtmodùm æqualiter inter omnes equeſtres dividendam. Pro ſingulis milliaribus ex conſuetudine tàm peditibus, quàm equitibus ſolvuntur 20. crucigeri. *Vid. Ord. Cam. part. 1 tit. 36. & ſeqq. Concept. O. C. part. 1. tit. 15. §. ult. tit. 49. tit. 50. & 60. Blum. d. l. tit. 18.*

XXXVII.

Non vacat hujusmodi plura congerere, quæ ex allegatis locis expeditu erunt facilia. Unicum hoc non prætereundum. In Camera non attendi Immediatorum privilegia, niſi fuerint legitimè jam antè inſinuata aut ad minimum unà cùm ſupplicatione pro Proceſſibus exhibita. *Vid. Blum. d. l. in Proceſſ. Cameral. tit. 39. num. 7 & 12.* Quin Camera nec Receſſus Imperii cæterasque ſanctiones, licet in Imperio ſint publicatæ, in Judicando obſervat; niſi eidem prius à Moguntino inſinuentur, nudis tamen literis, injungaturque, ut in poſterum juxta illas in cauſis judicet. Ita Receſſus noviſſimus de Anno 1654. in Imperio 19. Maij publicatus, demum 2. Octob. ejusdem anni in Camera fuit obſervatus. *teſte Blum. d. l. tit. 2. num. 9.*

XXXVIII.

XXXVIII.

Reſtat, ut de utilitate & effectu Archivorum pauca delibemus. Non opus hîc elogio, cùm utilitas ſatis ſe ipſa oſtendat. Audacter dico, Archivum unicum eſſe præſidium, quo benè vel malè geſtorum memoria conſervetur, & ad ſeros usque poſteros propagetur; quo lites minuantur, veritas defendatur & de calumniis malignantium triumphet. Hinc prudenter *Iacob. de Rammingen.* inquit; Vnd beſchließlich / ſo iſt vnſer Regiſtratur nicht allein ein Hertz / troſt vnd ſchatz eines Herrn / der ſie helt / ſondern auch ſeinen Vnterthanen vnd armen Leuthen; Ja allen ſeinen Nachbaren &c. In ſeinem Summariſchen Bericht. §. 18. Gemina ſunt, quæ Rulandus noſter: *Archivum*, ait, *Civitatis fortuna cunctorum eſt, & merito refugium unicum dicitur, ubi univerſorum ſecuritas invenitur. de Commiſſar. part. 2. lib. 5. cap. 3. n. 2.*

XXXIX.

Effectus potiſſimùm in probationum commodo ſe exerit; Nam quod ſtylus Curiæ ſeu Cancellariæ ſit obſervandus, quatenus ille non tàm modũ procedendi in Judicio denotat, quàm ſcribendi præludia & pompam. *vid. Iac. Menoch. lib. 2. præſumt. 8. n. 3. & ſeqq. Speidel. in Obſervat. lit. S in voc. Stylus Curiæ. n. 257.* perpetuum eſſe non videtur. Degenerant mores antiqui; augetur & invaleſcit titulorũ ambitio, ſine verbis ampullantibus, quæ ſimplex & furi neſcia antiquitas abhorrebat, vix ſuſtinetur Archivum. *vid. Limn. in Annotat. ad Proœm. Capitul. Carol. V. in voc.* Ehrwürdigen. ubi in fin. ad exemplum Pragmaticæ in Hiſpaniâ laudabiliter latæ opus eſſe lege publicâ ad coërcendos titulorum abuſus, rectè inculcat.

XL.

Cæterùm inſtrumenta domeſtica ſeu privatæ teſtationes ſeu annotationes, ſi non aliis quoque adminiculis adjuventur, ad probationem ſola non ſufficiunt. *l. Inſtrumenta 5. C. de probat.* neq; rationes defuncti, quæ in bonis ejus inveniuntur, ad probationem ſibi debitæ quantitatis ſolas ſufficere poſſe, ſæpe reſcriptum eſt. Ejusdem juris, etſi in ultima voluntate defunctus certam peccuniæ quantitatem aut etiam res certas ſibi deberi ſignificaverit. *l. rationes 6. & Auth. ſeq. itaque iſtant. l. jam. C. eod. l. verba. 6. C. de Teſtam.* Nam exemplo perniciosum, ut ei ſcripturæ credatur, quâ unusquisque ſibi annotatione propriâ debitorem conſtituit; Cùm neque Fiſcum neque alium quem libet ex ſuis ſubnotationibus debiti probationem præbere poſſe oportebat. 4. *exemplo. 7. ibique Gl. & Sichard. C. d. t. de probat. l. fin. C. de conveniend. fiſc. debitor.*

XLI.

Annotatio autem ipſius debitoris ſatis contra ſcribentem probat ſi cauſa obligationis appoſita; v.g. ſi quis profiteatur ſe pignus conſtituiſſe res depoſitas penes ſe habere. *l. pen. §. 1. ff. de pignor. l. Lucius. 24. l. Publica. 26. ff. depos.* Nimis enim indignum judicatur, quod ſua quisque voce dilucidè proteſtatus eſt, id in eundem caſum infirmare teſtimonioque proprio reſiſtere *l. generaliter. 13. C. de non n. pecun. e. per tuas. 10. X. de probat.* Itaque qui cautionem expoſuit, cauſasque explanavit prò quibus candē conſcripſit, eum ſtare oportet ſuæ confeſſioni, niſi evidentiſſimis probationibus, in ſcriptis habitis, oſtendere poſſit, ſeſe hæc indebitè promiſiſſe. *l. cum de indebito 25. in fin. ff. de Probat.* Evidèns exceptio eſt in causâ mutui & dotis. Nam confeſſio debitoris literaria non obſtat, quò minus intra biennium, per exceptionem

non

non numeratæ pecuniæ vel dotis, adverſario onus probandi imponatur. *t. t. C. de nonnum. pecun. & t. t. C. de dote cauta non num.*

XLII.

Receptum quoque contra illam juris civilis regulam: credi libris Mercatorum & jam in propriâ causâ, ſi mercator ſit bonæ famæ qui veritatem ſcribere conſueverit; Si rationes propriâ manu conſcripſerit; ſi cauſa debiti ſit expreſſa; ſi liberdata & accepta contineat; ſi commerciorum & negotiationis ſuæ materiam concernant, quæ annotavit; ſi non ſit ſumma nimis magna. *vid. Gail. lib. 2. obſ. 20. Iac. Menoch: lib. 2. arbitr. quæſt. caſ. 91. & 93. Althuſ. in Dicæolog. lib. 3. cap. 43. n. 26. Rüding. ſing. Obſervat. centur. 3. obſervat. 16.* Quanquam illud quoque videamus obſervari pleroſque mercatores juratos habere ſcribas, Buchhalter/ qui quæ ad negotiationem pertinent, in libros referant; quorum ſcriptura non minus credatur. Diariis tamen eorum, ſive ephemeridibus, *Giounal*, non credi *Rota Genuenſ. diciſ. 2. n. 27.* teſtatur; aliter atque literis, quæ inter mercatores mittuntur; nam has vim publicorum inſtrumentorum, ex conſuetudine locorum, ubi maxima mercium & negotiorum frequentia habere docet. *Rota genuenſ. d. Deciſ. 2. n. 9. Deciſ. 126. n. 8. Chriſt. Haffner in Diſput. Inaug. de Mercat. 188. & ſeqq. C. I. A. tit. de Probat. §. 9. n. 3.*

XLIII.

Archivum autem noſtrum non ſolum publicum teſtimonium continere adeoque plenam facere fidem, ſed omnia quoque ea, quæ inde proferuntur exemplaria ſeu *copiæ* vel *Tranſumpta* vulgò, patet ex *Auth. adhac. C. de fide Inſtrum. Nov. 49. cap. 2. §. 2. Cap. cùm cauſam. 13. X. de Cap. cùm cauſam. 13. X. de probat.* & DD. ferme unanimi

conſenſu docent omnes. vid. *Gloſſ. ad d. §. 2.* ibique *Gothofr. Card. Tuſchus concl.* 486. *in voc. Archivum, n.* 1. *&* 4. *Ruland. de Commiſſar. part.* 2. *lib.* 5. *cap.* 8. *Knipſchilt. de jur. Civit. lib.* 2. *cap.* 12. *n.* 16. *C. I. A. ad tit. de fid. Inſtrum. §.* 3. *n.* 4. *Althuſ. d. l. cap.* 41. *n.* 26. *Berlich. part.* 1. *concl.* 36. *n.* 10. *Beſold. & Speidel. in verb. archiv.* Adde *Covarruv. pract. quæſt. cap.* 21. In eo omnis concertatio, An certa ſolemnia circa extractionem iſtarum copiarum, uti loquuntur, adhiberi neceſſe ſit? Et ſanè multi 5. requiſita, alii 7. expoſcunt. vid. *Ruland. d. cap.* 8. *n.* 2. *& ſeqq. Althuſ. dicæolog. d. cap.* 41. *n.* 30. *Knipſchilt. d. cap.* 12. *n.* 15. *Speidel. d. l. lit. A. n.* 149. *in voc. Archiv. §. probationem.*

XLIV.

Sed fortaſſis ſolemnia illa eâdem facilitate rejiciuntur, quâ admittuntur. Potiora enim ex ipsâ Archivorum naturâ ineſſe videntur, reliqua uti non damnamus *arg. l. non ſolent.* 94. *ff. de R. I. l. teſtamentum.* 17. *C. de teſtam.* ita neceſſaria eſſe negamus. Erubeſcimus namque loqui ſine lege. *Nov.* 18. *cap.* 5. Neque occaſio quærenda, quâ probationum facultas anguſtetur. *l. pen. in fin. C. de hæretic. Nov.* 73. *cap.* 1. *in fin.* ſed potiùs, ut facilius negotia explicentur, & probatio rerum ſalva ſit. *l. curent.* 22. *ff. de teſtib.* Teſtamentum, quod coram Principe factum vel actis publicis inſinuatum verè eſt ſolemne, cùm Pr. Authoritas & actorum fides omnes ſolennitates ſuperet. *l. omnium.* 19. *C. de teſtam.* An vero hîc teſtes deſiderabimus? Minimè ſanè. Superfluum eſt privatum teſtimonium, cùm publica teſtimonia ſufficiunt. *l. in donationibus.* 31. *C. de donat.*

XLV.

Perpetua certè & conſtans eſt præſumptio pro Magiſtratu & iis, qui officio publico præſunt. *arg. l.* 2. *ibi:*

quod

quod non arbitramur. C. de offic. Civ. Iud. ibique *Gothofr. Cap. bonæ. 23. verſ. porro X. de Elect. ac Elect. pot. cap. ſicut. 16. inf. X. de ſentent. & re Iud.* quæ non niſi fortioribus argumentis elidi poſſit. *arg. cap. in præſentia. 6. X. de renunt. l. divus. 7.* ibique *Gl. ff. de in integ. reſtit. l. cùm de ætate. 13. ff. de probat. Menoch. lib. 1. præſumt. quæſtion. 30. n. 1. & lib. 5. præſumt. 21. n. 22.* An ergo protinus ſuſpectum erit ex archivo deſumptum exemplar, quod adverſarius ſuſpectum eſſe teſtibus oſtenderit. Negat profectò S. Pontifex, qui omninò legendus in elegantiſſimo *cap. ad audientiam. 13. X. de præſcript.*

XLVI.

Itaque tribuitur libro cenſuali, **Zinßbücher/** plena fides, etſi in Cardinalis Camera ſive Archivo fuerat inventus & ab eo, cùm Camerarius eſſet, de Camera B. P. ſuſceptus. *d. cap. 13.* Eundem effectum ſortiuntur libri mulctarum, **die Hader- vnd Straffbücher**; Libri Foreſtorum, **die Forſtbücher**; Libri Statutorum, **Stätt- Geſetz- Bücher**; Libri Senatus, **Rathsbücher**; Libri Miſſivarum, **Brieff-Bücher**; Libri Feudales, **Lehen-Bücher**; Libri Emphyteutici tributorum & Cataſtra, **Saal- Steur- oder Vhrbahrbücher**; Libri Judiciales, **Gerichtsbücher**; Libri Terminales, **Lager Bücher**; Libri Parœciales, e. g. Baptizatorum, Sepultorum, conjugio copulatorum, **Kirchen- oder Ehe- Toden- vnd Tauff-Bücher** &c. Vid. *Wehn. Obſervat. Pract. lit. b. in voc.* **Bücher** *&c. Ruland. de Commiſſar. part. 2. lib. 5. cap. 6. num. 5. & ſeqq. C. I. A. ad tit. de fide Inſtrument. §. 3. Althus. Dicæolog. lib. 3. cap. 41. num. 31. & ſeqq. Ruding. ſingul. Obſervat. centur. 1. Obſ. 22. & 69. centur. 2. Obſer. 43. 69. & 89. cent. 3. obſ. 36. centur. 4. Obſerv. 19. 41. & 89. centur. 5. Obſerv. 86.*

XLVII.

Operoſiùs hîc inquirunt nonnulli; An Comites,

Barones, Nobiles immediati, Civitates Hanſeaticæ &c. Jus Archivorum habeant, ſive an eorum monumenta publicum quoque teſtimonium mereantur? Vid. *Ruland. d. l. cap. 4. per. tot. Knipschild. de Iur. Civit. lib. 2. cap. 12. Limn. Iur. Publ. lib. 7. cap. 1. n. 56. & ſeqq.* Res dubitatione prorſus videtur carere. Cui enim Jus Magiſtratus, Jus Collegii conceſſum, non poteſt, non eidem Archivi jus quoque permiſſum eſſe. *arg. l. 2. ff. de Iurisdict. l. refectionis. 11. §. 1. ff commun. prædior.* Neque movet, quòd Cancellarii hîc nulli. Nam modeſtiæ gratiâ id fit, non defectu juris, cùm Archiotis non deſtituantur. *Vid. Limn. d. l. num. 56. Speidel. in voc* Cantzley. *lit. C. num. 16.* Hoc facile largimur, quòd inter Magiſtratus & Collegia ſit differentia, & dignitatis varietas, eandem tabulariis illorum, nunc minorem, nunc majorem, tribuere authoritatem.

XLVIII.

Huc refero verba Dn. Authoris der Grundfeſte deß Heyl. Röm. Reichs: ibi. In dieſen Churfürſten Raht war hiebevor faſt niemand / als nur Chur-Maintz einen Protocolliſten zuhalten / nachgelaſſen; Nunmehr aber ſtehet einem jedem Churfürſten vnd Churfürſtl. Geſandten frey / einen verpflichten Notarien zu ſolchem ende mit ſich hinein zunehmen; Jedoch wird bey fürfallenden Irrungen / Streit oder Zweifel über einen oder den andern ſo etwa im Raht vorgangen ſein / ſolle einig vnd allein auff das Chur-Maintziſch Protocol, als beglaubt / geſehen. Maſſen auch die jenige / ſo mit proteſtation ſich zuverwahren gedencken / dieſelbe dieſem einzuverleiben / vnd davon extract zuertheilen / inſtändig anhalten. *in part. 2. cap. 4. in fin.* Nec enim puto reliquorum Electorum ſcriniis in Collegio Electorali omnem plane fidem derogari, ſed

tantum-

tantummodò Moguntini conciliari potiorem, ob munus ſcil. Archi-Cancellarii.

XLIX.

Nimiùm periclitaretur probandi ratio, ſi illa in publicis monumentis tantùm intra Jurisdictionis terminos valeret. Requirit ſanè veritatis favor, ut undequaque illi accerſamus ſubſidium. Nam de Magiſtratibus dictum eſt; quod tibi vis fieri, alteri feceris. *can.* 1. *dict.* 1. Ecquis autem amabit teſtimonio ſuo fidem denegari? Et hinc quoque origo literarum quas *mutui compaſſus* vocant. *Gothofr. ad l. fin. ff. de jurudict.* Majoris tamen evidentiæ gratia, maximè ſi inſtrumentum ſeu publicum documentum in longinquis oris ſit producendum, rectè atque ordine fieri volunt DD. ut aliorum quoque trium Notariorum ſigillis muniatur, aut certè Superiorum quoque authoritate roboretur. *arg. cap.* 1. 2. *& cap. inter dilectos.* 6. *verſ. ſed & ipſam. X. de fid. Inſtrum.* Quo enim plura ſunt ſigna in chartis, tantò cautiora ſunt inſtrumenta; *uti Gl. loquitur in Nov.* 43. *cap.*1. *in voc. ipſis per ſe, in fin. vid. Bart. Cæpollam cautel.* 83, *al.* 54.

L.

Diximus defectum Cancellarii non tollere Archivum. Nam & ſummi Pontifices poſt Alexandri III. tempora non Cancellarios ſed Vice-Cancellarios habuerunt. Rationem variè inquirunt; Alii, quòd Cardinales non eſſent; alii quòd Cancellariatus D. Marco vel D. Laurentio Martyri deberetur; alii propterea factum putant, ne nimium ſibi arrogarent; alii aliter. *Vid. Gregor. Tholoſ. in Syntag. Iur. lib.* 15. *cap.* 42. *n.* 1. *Speidel. in voc.* **Cantzler** / *lit. C. n.* 15. *verſ. Ac notandum. & ibi in Addit. verſ. ſunt & præterea.* ubi & Cancellarii Imperatricis, ut & Cancellariorum Academicorum facit mentionem; de quibus adde *Cluten. in ſyllog. rerum quotidian. th.* 24. *lit. K. verſ.*

verſ. illud obiter. Reinking in Regim. ſecul. & Eccleſ. lib. 3. claſſ. 2. cap. 3. n. 32. Limn. in Iur. publ. lib. 2. cap. 14. n. 23. & ſeqq. & lib. 8. cap. 2, per tot. Poſtrema verò ratio mihi videtur eſſe probabilior. Nam ex relatione fideliſſimâ accepi, Cancellarium Venetum ob eandem cauſam ex ordine plebeio aſſumi; & in Gallia vetus arcanum eſſe, ut ne in regii adminiſtrationem ſigilli provehantur, qui ex Principum familiis ſunt, oſtendit *Bart. Gramond. Hiſt. Gallic. lib.* 12.

COROLLARIA.

PRinceps ne quidm ex plenitudine poteſtatis ſubditis bona ipſorum auferre poteſt.

Servitus eſt contra Naturam.

Uſucapio æquitati non eſt contraria.

Teſtamentum quoad originem eſt Juris Civilis.

Annui reditus vendi poſſunt.

Actiones ſunt Juris Civilis.

Homini Chriſtiano licitum in Judicio contendere.

F I N I S.

ANT 1319091